

diferentibus: siquidem motus concupiscentie in coniugato versatur circa obiectum secundum se licitum, & solum est peccatum veniale, quia non ordinatur ad finem honestum directum à ratione, à qua potuit preveniri; ergo.

Nihilominus dicendum est, prædictos motus circa indifferentia manere indifferentes in individuo, ita colligitur ex D. Thom. in præf. art. 9. in corp. ubi sic concludit: *Si autem actu non procedit à ratione deliberativa, sed ex quodam imaginatione, sicut cum aliquis fricat, fridam, vel movet manum, aut lapideum, talis motus non est proprie loquendo moralis, vel in se, non est proprie loquendo moralis, sed est in se, cum hoc habeat actus à ratione: & si differens, quasi extra genus, ut dicitur in Malo. Et sua existens. Idem docet Malo. Et sua existens. Idem docet Malo. Et sua existens.*

tionem & deliberationem, quamvis gaudeant libertate imperfecta, ex eo quod ab ea preveniri poterat, sufficienti ex se ad peccatum veniale non dunt sub prædicta lege. Nec per ratio est prodis, ac pro motibus venialibus circa inhonestum: Nam ipsa inhonestum obiecti ex se postulat prohiberi, nec actu versus circa illud, gaudens quacunq; libertate, potest non malitia saltem veniali vincari. Per quod constat ad rationem dubitandi.

Ad confirmationem respondetur, quod accessus carnalis, nisi ordinetur ad debitam prolis procreationem, secundum se est obiectum inhonestum; & ita si à coniugato procedat ex deliberatione, & præcisè ob delectationem, est peccatum veniale, ut supra vidimus. Unde non est mirum, quod motus concupiscentie, non excedens limites matrimonii, & præcedens iudicium rationis computetur à D. Thoma inter peccata venialia; quamvis non sit ita grave, sicut procedens ex deliberatione. Pro hac doctrina vide N. Salm. tract. 13. disp. 10. num. 74.



TRACTATUS XI.  
DE VIRTUTIBUS.



UAMVIS Angelicus Doctor in hac 1. 2. à q. 2. inclusive vsque ad 48. item inclusive agat de passionibus animæ, & ab hac proximè citata vsque ad 54. disserat de habitibus in communi, tractatum de his præmittimus: tum, quia de passionibus nil peculiare occurrit dicendum, præter ea quæ in littera D. Thomæ, & Commentarijs Caietani continentur. Tum, quia de habitibus sufficienter constat ex dictis in Logica, & Philosophia. In quo alios Commentatores D. Thomæ imitamur, maximè N. Salmanticenses, speciali tamen titulo, quia brevitati, & compendio consulimus. Ideoque post tractatum de Actibus moralibus, in mediè infitimus tractatum de Virtutibus in communi. Circà quas D. Thomas à q. 55. quinque considerat. Cuius vestigijs inherentes, eodem ordine, prout fieri potuerit, tribus disputationibus complectemur. In prima agendum est de earum natura. In secunda de illarum subiecto. Et in tertia de earum proprietatibus. Et, si nobis opus visum fuerit, addemus quartam pro aliquali indagine donorum Spiritus sancti. Cuius afflatu posse promissa numeris perfectè, & fructuose absolvi firmiter credimus, & fiducialiter speramus.

DISPUTATIO I.

De naturâ Virtutum.

Omnes ferè Authores cum D. Thoma supponunt esse virtutem, ex dictis q. præf. art. 3. ubi dividit habitum in bonum, & malum. Et propterea, prætermittit quæstionem an esset, procedimus ad indagandum quid esset.

DUBIUM I.

An virtus humana sit essentialiter habitus?

HOC dubium in proprijs terminis excitat ex professo D. Thomas in præf. art. 1. in quo affirmativam tenet sententiam. Angelico præceptori suffragantur communiter Theologi præsertim N. Salm. in præf. dub. 1. ¶ At Scotus in 1. dist. 17. q. 2. §. Quantum ad istum articulum, & §. Ad alia argumenta, quamvis concedat cum communi sententiâ, esse habitum operativum bonum, ita ut complementum virtutis moralis sit bonitas moralis; dicit tamen has duas rationes, nempe habitum, & bonitatem, non se habere sicut genus, & differentiam, quæ constituant unam essentiam metaphy-

sicam; sed potius tanquam subiectum, & accidens constituentia unum per accidens; ita ut civitas habitus sit subiectum, & bonitas, per quam constituitur in ratione virtutis, sit accidens illi superveniens: additque prædictum accidens esse relationem prædicamentalem ad prudentiam, sive ad naturam. Subtiliorem Doctorem sequitur Franciscus Felix in hoc tr. cap. 1. diff. 2. & alij. Sed ante eius resolutionem opus est, aliqua ad veram notitiam habitus necessaria prælibare.

§. I.

Quoddam prænotabile ad essentiam habitus declarandum.

LIcet naturam habitus in communi optime diffinierint N. Complut. abbrev. in sua Logica disp. 15. q. 3. per hoc, quod sit qualitas, secundum quas res bonè, vel malè se habet difficilè mobilis: non tamen ex hac diffinitione sufficienter dignoscitur habitus natura, nisi amplius explicetur, in quo consistat bonè, vel male afficere naturam. Pro cuius luce notandum est, non quamlibet afficientiam accidentis, qua bonè, vel malè se habet subiectum, esse proprium habitum, aliàs quantitas, cœter-

TRA-



raque accidentia exornantia subiectum, quibus neque non bene, vel male se habere, fortiter rationem habitus; quod est falsum.

Requiritur ergo, quod accidens taliter afficiat subiectum, ut ordinem eius partes, non quas habet realiter distinctas in ordine ad locum, sed illas, quae virtualiter, seu eminenter distinguuntur, quae in omnibus naturis, siue potentijs, quae non vniiformiter possunt existere sub proprio esse, vel accedere ad suum specificativum, sanè reperiuntur. Ex quo inferitur, quod cum natura humana (v. g.) variabiliter, siue non vniiformiter subsistat proprio esse (quandoquidem potest ab ea subtrahi, ut apparet in morientibus, qui illud amittunt illa accidentia, quae illam ita afficiunt, ut perseveret sub esse, dicatur eius partes bene disponere, vel suae plenitudo, sanitas; si vero afficiant, quasi esse ab ea subtrahendo dicuntur male disponere, ut deformitas, aegritudo, quae revera sunt male dispositiones tendentes ad tollendam permanentiam subiecti sub proprio esse.

3. Idipsum proportionabiliter cernere licet in accessu, & recessu potentiae a proprio specificativo. Saepè enim contingit variabiliter illud attingi a potentia; intellectus enim, vel voluntas (v. g.) non semper equaliter propria attingunt obiecta; & consequenter nec natura, quae per has potentias radicaliter operatur. Unde illa forma, vel accidentia, quae, quantum fas est, similes reducant variabilitatem, dicuntur ordinare partes naturae, id est, eam afficere, & disponere bene, si in ordine ad obiectum ipsi conueniunt vniiformitatem, & expeditionem inducunt; male, si res e contra se habeat.

Quam doctrinam profunde tradidit Div. Thomas supra quest. 49. art. 3. ad 2. his verbis: *Dicendum, quod non est de rationis habitus, quod respiciat potentiam, sed quod respiciat naturam. Et quia natura praecedat actionem, quam respicit potentia, ideo prior species qualitatis ponitur habitus, quam potentia.* Vbi (ut vides) propriissimam differentiam habitus constituit D. Thomas in respicientia eius (utque ordinativa) ad naturam. Unde si quandoque ipse Angelicus Doctor docet, & aperte insinuat esse proprium habitus respicere operationem; exponendus est iuxta doctrinam traditam articulo citato in corpore, quatenus non vult ex loco lege praecipuum respectum habitus ad naturam, sed solum asserere saepè habitum respicere operationem, quia in hoc deservit naturae. Quam explicationem, & plura huc expectantia invenies apud N. Salmant. tract. 13. in Comment. art. 1. quest. 79.

4. Ex his facile percipitur, quid sit habitus bonus, quid malus; quae distinctio versetur inter habitum, & dispositionem; inter virtutem, & vitium; & inter potentiam & habitum. Primum enim potest sic declarari: nam, ut supra

diximus, illam qualitatem pertinere ad speciem habitus; quae partes virtuales naturae disponit in ordine ad esse, vel operari; & cum certum sit cuiuslibet naturae esse (ut patet a Deo causatum) explicare aliquid boni, & similiter illas operationes, & artefacta, ad quae se extendit, ut a Deo producta, evidens est qualitatem, quae naturam ad quemlibet ex his terminis deducta, esse de linea boni, ac proinde habitum bonum; & si contrario modo naturam disponat, est aliquid malum: haec enim est prima radix, unde diversificantur virtutes, & vitia, pravæ & rectæ dispositiones, & haec ratione qualitates, quae ex ea distinguuntur, sunt primò diversae, servata praecise convenientia in genere supremo qualitatis, quamvis alias in alijs conceptibus nominatenus videantur convenire.

5. Similiter declaratur distinctio dispositionis ab habitu: nam si esse habitum sit quasi tenaciter & fortiter ordinationem partium, vel inordinationem causare in subiecto, considerandum erit, verum principia, ex quibus qualitas dependet, apta sint inferre, & conservare similem tenacitatem; & si ita est, erit habitus: si vero fluxibilitatem & variationem importent, erit dispositio. Ex quo fit, virtutem, scientiam, & artem, quae quid firmiter respiciunt; bonum, scilicet, & verum evidentem propositum, est habitus ex natura sua. Opinio autem, & forte vitium, & alia id genus in quibus rationem dispositionis ob fundamentum oppositum; quidquid sit, quod aliquando ob assuetudinem, vel aliquam conditionem subiecti sint valde radicalia, quia hoc erit per accidens, non vero ex specie sua, quod necessarium erat, ut proprie essent habitus. Diximus forte vitium, propter dicenda num. 13.

Tandem explicatur differentia inter potentiam, & habitum: quia est potentia sit qualitas, & ideo dispositiva substantiae, quod habet habitus, & dispositio; & similiter respiciat operationes, in quo cum pluribus habitibus videatur convenire, intercedit tamen haec differentia, quod habitus, & dispositio determinat bene, vel male disponunt, a qua determinatione potentia praescindit, quia non curat addere, vel detrudere aliquid a natura, sed tantum deservire ei relinquendo omnino intactam. Quibus scitis.

§. II.

Sententia D. Thomae.

6. Dicendum est, virtutem humanam esse essentialiter habitum, ac proinde constitui ex habitu, & bonitate tanquam ex genere, & differentia essentialibus. Ita docere videtur Arist. 2. Ethic. cap. 5. & 6. ubi virtutem collocat in genere habitus. Et in Praedicatione.

tam, ubi res collocat in suis generibus essentialibus constituit virtutem in practico modo qualitatis sub genere habitus, & nullibi asserit esse relationem. Idem docet D. Aug. lib. 1. de Moribus Ecclesiae cap. 6. ubi ait: *Virtutem nihil aliud esse essentialiter nisi habitum, & quasi sapientis animae qualitatem.* Et lib. 83. quest. 81. diffinit virtutem per hoc, quod est habitus animi rationi consentaneus. Et lib. 2. de lib. arb. cap. 18. diffinit eam per hoc, quod est bona qualitas. Idem colligitur ex D. Thoma in tota hac quest. 55. & quest. praeced. art. 3. ubi habitum dividit per bonum, & malum, seu per virtutem, & vitium tanquam per differentias essentialis.

Et probatur primò ratione deducta ex Div. Thoma in praef. ad hanc formam redacta: Nam virtuti convenit definitio habitus, non solum prout hic praescindit a propria ratione habitus, & dispositionis, sed etiam prout explicat veram, & propriam rationem habitus, prout distincti a dispositione: ergo est essentialiter habitus. Antecedens quoad primam partem, sciendum quomodo est praecipua cum Scoto, suaderetur: Nam habitus sub illa praecisione distincti a Philosopho per hoc, quod est qualitas disponens rem bene, vel male, vel in ordine ad se, vel in ordine ad operationem, iuxta dicta §. praeced. sed essentia virtutis consistit in eo, quod disponat naturam rationalem, seu potentiam ad operandum conformiter ad regulas rationis, siquidem ad hoc ponitur, ut potentiam tendentem variabiliter, defectibiliter, & cum difficultate ad obiecta rationi consona, determinet, & habiliter ad illa: ergo convenit ei definitio habitus, prout praescindit a propria ratione habitus, & dispositionis. Quoad secundam ostenditur: nam habitus prout distinctus a dispositione diffinitur per hoc, quod disponens subiectum sit difficile mobilis; sed virtus se habet huiusmodi: tum, quia obiectum virtutis natum est ex se firmitatem, & vnitatem praestare: tum, & praecipue, quia disponit, ut non solum recte, sed etiam faciliter, & promptè obiectum consonam rationi amplectatur, quod nequit competere dispositioni, ut infra explicabimus: ergo convenit ei definitio habitus rigorosi, prout distincti a dispositione.

7. Respondebis ex doctrina Scoti, praedicta manera non convenire virtuti secundum propriam essentiam virtutis, secundum quam tantum dicit relationem practicalemente conformitatis cum ratione, aut prudentia; sed tantum secundum id, quod de materialibus, & praesuppositivè habet, ad data praefata relatione per modum conditionis.

Sed haec evasio multipliciter refellitur. Primò ad hominem: nam habitus Logicae, vel Philosophiae, quatenus sunt virtutes intellectuales, sunt essentialiter habitus, ut concedit Scotus,

Paul. Tocol. Salm. Tom. II.

Item prudentia etiam essentialiter est habitus, cum non subiciatur regulis alterius prudentiae, aliàs daretur processus in infinitum: ergo etiam quaelibet alia virtus moralis, de qua principaliter agitur in praefati.

Consequenter probatur tum a paritate. Tum etiam: quia idèò praedictae virtutes essentialiter sunt habitus, quia conferunt vim intellectui, ut attingat sua obiecta modo artificioso, & facili, & ut regulet recte actus aliarum virtutum, quod est proprium obiectum prudentiae, sed etiam virtus moralis conferit vim appetitui ad attingendum obiectum, ut conforme rationi, & prudentiae: ergo etiam est essentialiter habitus, & non tantum praesuppositivè. Vel reddat Scotus disparitatem, cur Logica, & prudentia non praesuppositivè, sed essentialiter est habitus tendens per se primò ad opus ut artificiosum, & non quoad entitatem physicam.

8. Secundo: Nam habitus per se inclinans potentiam ad opus ut virtuosum, est essentialiter virtus; sed ponendi sunt habitus per se inclinantes potentiam siue appetitum ad actum ut virtuosum: ergo sunt essentialiter virtutes, ac pro inde virtus essentialiter est habitus. Maior cum consequentia videtur certa: propter enim negat Scotus, virtutem esse essentialiter habitum; quia existimat, habitum per se primò inclinare ad actum secundum suum esse physicum. Minor verò probatur: nam habitus ponendi sunt in potentia tantum ad actum ex se superexcedentes, & improporcionados cum illa, vel late infra dicemus; sed actus virtuosus secundum suum esse physicum non excedit virtutem potentiae, sed est omnino proportionatus cum illa: velci carnisbus (v. g.) secundum suum esse physicum non super facultatem appetitus, sed ut est conforme regulis morum, & prudentiae, quo pacto est actus virtuosus: ergo solum ponendi sunt habitus per se primò inclinantes potentiam ad actum ut virtuosum. Nec vim ponimus in eo, quod habitus per se primò attingat moralitatem: nam haec impugnatione manet in sua vi, est inclinans per se primò ad actum prout fundantè bonitatem moralem, dummodo non detur habitus ad entitatem, physicam actus consideratam secundum se, quod ex hac impugnatione clarè constat.

9. Tertio: Nam habitus inclinans potentiam ad actum conformem rationi pro priori ad relationem praedicalemente, quam dicit ad prudentiam; sed eo ipso in ratione virtutis non constituitur per huiusmodi relationem, sed per suummet esse physicum: ergo virtus essentialiter est habitus. Maior probatur: nam habitus debet habere fundamentum praedictae relationis praedicalementis ad prudentiam; sed fundamentum

Tre

tum



tum huiusmodi relationis nequit esse habitus, prout describitur à Scoto, hoc est, secundum suum esse physicum indifferens ad bonitatem, & malitiam; quia prout sic non fundat potius relationem conformitatis, quam disformitatis; neque consuetus cum prudentia, quia habitus vitiosus potest coniungi cum illa; ergo est fundamentum, prout inclinatur potentiam ad actum virtuosum pro priori ad huiusmodi relationem. *Adde*: Quia bonitas habitus non est relatio secundum esse, sed secundum dici, in qua fundatur relatio predicamentalis: siquidem hæc, ut potest relatio tertij generis, fundatur in habitu dine, quam habitus dicit ad suum obiectum: ergo prius dicit ordinem transcendentalem ad prudentiam seu rationem, & ad obiectum, ut consonum rationi: ergo in hoc ordine consistit bonitas habitus seu virtutis, & non in relatione predicamentali; sed hic ordo est essentialis, ut liquet in ordine cuiuscunque principij ad suum obiectum specificativum: ergo virtus essentialiter est habitus, & non constituitur in ratione talis per relationem predicamentalem, & accidentalem habitui superadditam.

## §. III.

## Scoti argumenta.

10 **A**rguitur primò ex Philof. 7. Physicæ, text. 17. vbi ait: *Virtus autem omnis, & vitium ad aliquid sunt*: ex quo inferat, ad virtutem non dari per se alterationem: ergo virtus non est essentialiter habitus, sed relatio. ¶ Confirmatur ex D. Thoma infra quæst. 66. art. 3. vbi comparans virtutem intellectualem, & moralem, docet, intellectualem esse perfectiorem in ratione habitus, & moralem in ratione virtutis; sed hoc stare non potest, si habitus est genus essentialis virtutis: siquidem differentia perfectior nobilior genus expulsiat: ergo.

Ad argumentum responderetur, ex Philosopho tantum deduci, quod virtus essentialiter consistit in relatione secundum dici, secundum quam dicit habitudinem ad aliud, videlicet ad naturam, ad prudentiam, ad actum, & ad obiectum, & fundat relationem predicamentalem. Ad eam autem non terminatur alteratio, de qua loquitur Arist. sed ad qualitates tertie speciei. ¶ Ad confirmationem responderetur, sensum D. Thomæ solum esse, quod virtus moralis sit perfectior in genere moris, quam virtus intellectualis; & hæc sit illa perfectior in esse entis, tam in ratione habitus, quam in ratione virtutis. Ex quo nihil contra nos. *Adde*: quod dato, virtutem moralem esse absolute perfectiorem in esse entis secundum suam differentiam, & imperfectiorem secundum genus habitus, incipere inferatur, non esse genus essentialis: quia plu-

ra sunt, quæ sunt perfectiora indifferens, & imperfectiora in genere essentiali, ut vivens est imperfectius celo secundum genus corporis, & perfectius secundum ultimam differentiam.

11 Arguitur secundò: Nam bonitas, & malitia sunt differentie accidentales in actu: ergo etiam in habitu. Antecedens supponitur ex dictis disput. præcedent. Et consequentia probatur à paritate: nam non est, cur esse morale in actu supponat esse physicum, & non in habitu.

Ad hoc argumentum responderetur, concessio antecedenti; negando consequentiam, propter evidentem rationem disparitatis: quia ad entitatem physicam actus sufficit entitas physica potentia, & ita potest actu accedere moralitas; sed potest dari habitus, qui persè primò respiciat, ut specificativum sui aliquid, quod entitati actus omnino accidentaliter advenit; ut liquet in arte, quæ respicit essentialiter ut sui specificativum formam artificiosam, quæ est accidens respectu rei, in qua introducit. *Maximè*: Quia in actu bonitas, sive malitia non est relatio predicamentalis, sed modus de predicamento qualitatis. Unde non inferatur intentum præcipuum Scoti.

12 Arguitur tertio: Nam implicat manere genus physicæ, & essentialiter, destructis eius differentiis per se contractivis; sed possunt deficere in nobis virtutes, nullis habitibus deficientibus: ergo virtus non est essentialiter habitus. Minor probatur primò: Nam Iudæus, qui ante mortem Christi offerebat sacrificia iuxta ritum suum, post mortem eodem facilitate, & ex eodem habitu poterat illa offerre, sed antea erat virtus religionis, & postea vitium: ergo potest virtus deficere, habitu non deficiente. *Secundò*: Nam si quis habeat habitum commendendi carnes temperatè, & mutetur tempus, in quo carnes sunt prohibita, idem habitus, qui ante prohibitionem inclinabat in bonum, postea inclinatur in malum. Similiter: Qui eliceret plures actus abstinentiæ indeliberatos, acquireret habitum abstinentiæ, per quem, adveniente deliberatione, facile illos eliceret; sed antea non erat, & postea fit virtus: ergo. *Tertio*: Nam non est credibile, quod omnes habitus acquiriti in statu gratiæ pereant vnicò actu peccaminoso; & tamen non manent in ratione virtutis, ut docet D. Thomas infra quæst. 65. art. 2. docens, virtutes morales non posse esse sine prudentia, neque hanc sine charitate: ergo.

Ad hoc argumentum responderetur, concedendo maiorem; & negando minorem. Ad primam probationem, dicendum, quod talis Iudæus, nisi excusetur ignorantia inviabilitatis, dum in statu legis gratiæ offert sacrificia legis antiquæ committit peccatum superfluitatis, non per habitum, quo antea prædicta sacrificia offerebat, sed in primo actu ex nullo habitu, & in se-

sequentibus per habitum superfluitatis per anteriores acquiritum. Ratio huius est: quia ibi adest nova, specialis difficultas, quam antea non habebat: quia antea erat facilis ad illa sacrificia per habitum religionis, per quem victa est difficultas ad exerecendos illos actus, ut conformes rationi: & postea adest alia difficultas operandi contra regulas morum, conscientia repugnante: & ad has diversas difficultates vincendas ponendi sunt duo habitus, unus bonus, & alius malus & essentialiter diversi in ratione habitus. Accedit, quod licet esset facilis in eliciendis illis actibus, hoc non proveniret ex eo, quod habitus religionis concurreret ad eam entitatem actuum, sed quia superavit impedimenta extrinseca, quæ ab exercitio similibus actuani poterat retardare.

Per quod constat ad secundam probationem, & ad primam exemplum. Ad secundam, dicendum, per actus indeliberatos nullum habitum produci: quia omnis habitus est in genere moris. Potest tamen dici, quod per illos redditur promptior ex remotione impedimentorum, sicut proxime dictum est.

Ad tertium responderetur, virtutes morales naturales, sicut & vitia posse considerari dupliciter, vel secundum suam entitatem, vel sub denominatione virtutum, & vitiorum: hæc secunda consideratio nihil intrinsecum addit supra primam, sed connotationem quandam, quæ respectu virtutum in eo stat, quod gratia rectificat subiectum virtutis in ordine ad finem supernaturalem, in cuius redificationis consortio virtus habet expeditionem, & tribuit denominationem virtuosam quasi fixæ; & vitia, si adint, quamvis remaneant quoad entitatem, & malitiam moralem, denominationem vitiosam non tribuunt subiecto. Econtrà in statu peccati res se habent. Sed ex hoc non licet inferre, quod idem habitus entitative potest nunc inclinare in actus bonos, & postea in actus praves. Et idem dicendum est de virtutibus relatè ad prudentiam.

13 Vitium arguitur: nam vitium non est habitus, sed ad summum dispositio: ergo nec virtus. Antecedens probatur: nam habitus est difficile mobilis, ad quod est necessarium habere causas fixas, & permanentes, ex quibus sumitur species, ut supra diximus; sed obiecta dissimilia, quæ specificant vitia, nullam permanentiam importat, cum malum ex se sit inconstans, & transmutabile: ergo non est essentialiter habitus, sed dispositio.

Ad hoc argumentum responderetur, permissio antecedenti, & consequentia, nihil contra nos, prout ad præsens refert: quia iam verificatur, quod virtus est in specie qualitatis, quod tenuit concedere Scotus. Vel permissio antecedenti, negari debet consequentia: quia si vitij negatur essentia habitus ex eo, quod eius obiectum, scilicet malum, nullam permanentiam

Paul. Theol. Salm. Tom. II.

tiam, & firmitatem habet; ob oppositam rationem virtus debet habere rationem habitus, quia eius obiectum, videlicet bonum, ex se illas importat. Ad probationem dicendum est, quod non oportet contraria esse sub eodem genere proximo; sed sub eodem genere absolute, sub quo certum est contineri dispositionem, & habitum, cum qualitate participantem. Unde si adint alie conditiones ad contrarietatem requirite, sicut certum est inesse virtutibus, & dispositionibus vitiosis, non est cur non exerceant contrarietatem strictam.

Quæ doctrina eò libentius debet admitti, quia admissio vitium esse strictè habitum, ac proinde virtutem directè oppositam, non potest ostendi univocari cum ipsa in genere proximo qualitatis, sed præcise in subalterno, & remoto. Ratio est: quia primæ differentie contrahentes genus qualitatis, saltem in esse morali, sunt bonè, & malè disponere in ordine ad naturam: in quibus nocum est vitium, & virtutem distingui, quia hæc includit differentiam bonè, & vitium differentiam malè. Ea verò, quæ in superiori ratione non conveniunt, nequeunt in inferiori univocari. Unde est habitus vitiosus nomine tendens videatur magis convenire cum habitu virtutis, quam cum dispositione vitiosa, cum habeat conceptionem qualitatis, & conceptum habitus, sicut & illud; reipsa ita non est, sed magis conformatur cum dispositione vitiosa, nam cum ea convenit in ratione malè disponendi naturam, quæ est prima differentia distinguens, & dividens vitium à virtute. Ex quo facile potest deprimi, quale sit genus proximum virtutis, & quale sit genus, in quo virtus, & vitium conveniunt, quæ præcipue explicat N. Salmant. in præf. à num. 11. & ad quæ est leviter explicanda hoc argumentum adduximus.

14 Responderetur secundò negando antecedens. Cuius probatio non videtur: quia est malum (& idem dicit de opinabili, & alijs huiusmodi) in esse entis nullam importet firmitatem, poterit tamen illam conferre in esse obiecti, adhibitis circumstantijs debite propositionis, continuationis &c. quo sensu communiter dicitur Logicam esse propriè habitum, quamvis sumat suam speciem ab ente rationis in esse rei debilibus entitatis, & consistentiæ, sed in esse obiecti sufficienter firmato. *Adde*: Quia licet malum morale nullam consonantiam dicat ad naturam vtemtem principijs rationis (sub quo naturam absolute sortitur rationem naturæ, & hæc ratione, quæ in hoc munere illi adversantur, cuiusmodi est peccatum, & error, dicitur esse contra naturam) tamen haud parvam convenientiam importat ad alia munera illius, sive potentiam, scilicet peccandi, in qua peccata radicata sufficienter nequeunt non esse difficile mobilia. Videantur N. Salm. de peccatis disp. 164 à num. 37.



## DUBIUM II.

Quæ sit causa efficiens habitus virtuosus.

Titulus videtur supponere, virtutem naturalem (de qua est sermo, & quam supra contra Scotum offendimus non esse relationem secundum esse) posse perse terminare actionem: quia, cum propria passio naturæ rationalis non sit, vtpote ab ea communiter separabilis, debet perse terminare actionem, si aliâ relatio non est. Conveniunt tamen omnes, virtutem fieri nostris actibus; quod ita experientia constat, vt à nemine negari possit. Sed circa causalitatem, & efficaciam actus ad producendum habitum est nonnulla difficultas. Nam Durandus 3. dist. 33. q. 2. art. 2. & Burid. 2. Ethic. quest. 3. negant, habitus fieri ex nostris actibus effective. Opposita tamen sententia est Arist. D. Thomæ, & omnium Theologorum. Pro quo fit:

## S. I.

Communis sententia,

15 **D**icendum est, habitum virtutis humanæ effective produci per actus illius potentie, in qua ipsa virtus recipitur; non prout talis potentia consideratur nuda, sed quatenus à potentia superiori elevatur aliqua illustratione, & vigorositate in ea recepta. Ita Arist. 1. Ethic. cap. 1. vbi ait: *Adificatores edificantes, & citharædi citharam pulsantes sunt eodem, quo modo iusta agentes iusti, & moderata moderati.* Ex quo concludit, omnes habitus ex similibus actibus fieri. Idem tradit Div. Thomas supra q. 51. art. 1. & infra quest. 63. art. 2.

Et probatur ratione: Nam virtus humana debet produci effective per aliquos actus; sed nulli actus assignari possunt, quam actus potentie, in qua recipitur ipsa virtus: ergo producit per illos. Major videtur innegabilis; vel non capit in usum sententiam Durandi. Minor verò probatur: nam virtus producit effective per actus tendentes in obiectum illud, in quod ipsa virtus inclinatur primario: sed inclinatur primario medijs actibus suis in obiectum potentie, in qua recipitur: ergo producit effective per actus illius potentie, in qua ipsa virtus recipitur. Maior satis liquet ex Philosopho supra relato, & perpetuo traditur à D. Thoma. Minor verò probatur: tum ex D. Thoma quest. unica de Virtutibus art. 9. in corpore, & ad 11. vbi ait: *Habitum, maxime virtuosum, produci ex inclinatione, quam potentia superior relinquit in inferiori in ordine ad obiectum ipsius potentie inferioris regulatum à superiori.* Ex quibus verbis clare depromitur nostra assertio, quoad

omnes suas partes, vt consideranti constabit; & quod virtus inclinatur in obiectum potentie, in qua recipitur. Tum etiam: nam habitus virtuosus ad hoc datur, vt potentia eliciat prompte, facile, & delectabiliter actus virtuosos; sed nulla potentia potest operari extra obiectum adæquatam illius: ergo habitus inclinatur medijs actibus in obiectum potentie, in qua recipitur.

16 Quoad secundam partem etiam suadet ratione deprompta ex verbis D. Thomæ proximè relatis: Nam facultas, seu potentia acquisita virtutis secundum se est in potentia ad illam, cum illam recipiat; sed non potest effective illam causare, nisi sit in actu: ergo secundum se non potest illam causare; sed necesse est, vt constituat in actu ab alia potentia superiori, sicut omne agens se habet ad passum. Quod expressit D. Thomas infra quest. 63. art. 2. ad 3. vbi sic concludit: *Sic igitur actus humani, in quantum procedunt ex anterioribus principijs, possunt causare virtutes acquisitas humanas.* Et hac ratione probat quest. citata de Virtutibus, intellectum agentem non esse subiectum virtutis, quia non habet potentiam, cuius vim participet: nec potentias naturales, vt augmentativam, & nutritivam, quia non subdantur domino alterius potentie superioris.

Qua ratione rectè intellecta præoccupatur præcipuum argumentum Durandi: qui ex eo probat, habitum virtutis non generari ex actibus, quia idem esset agens, & patiens respectu eiusdem. Hoc enim directius probat contra Durandum, quam contra nos: Nam nos sufficientem distinctionem ponimus inter potentiam, vt recipientem virtutem; & illam efficientem, cum illam eliciat, prout movetur à potentia superiori; & illam recipiat secundum se. Durandus verò docet, solam potentiam esse causam efficientem habitus virtutis, & esse subiectum illius, ideoque nullam distinctionem ponit inter agens & passum.

## S. II.

Argumenta sententie contrariæ.

17 **M**ais obiectionibus Durandi, quibus conatur suadere habitum virtutis non produci ex actibus illius potentie, in qua est, quia sunt nullius momenti: Arguitur primo: Per nos potentia superior potest derivare in inferiores aliquam vigorositatem, qua inferior actuata possit actibus proprijs comparare sibi virtutem: ergo similiter poterit ipsam virtutem producere, ac proinde hæc producit in potentia inferiori ex actu potentie superioris. Patet consequentia: nam virtus illa à superiori descendens non minus inclinatur in obiectum virtuosum, ac ipse virtutis habitus: ergo

## Dub. II. Quæ sit causa efficiens habitus virtuosus.

si potest dari non acquisita actibus potentie, in qua invenitur, similiter poterit sine eis dari ipsa virtus humana.

Respondetur negando consequentiam, & eius intertam probationem. Et ratio negandi est: quia virtus est inclinatio in obiectum rationi consonum, non vtrunque, sed fortis, permanens, & vincens potentiam; quibus muneribus caret vis illa à potentia superiori in inferiori causata, quæ est tendat, & inclinatur in idem obiectum, est deficienter & dispositive, ac proinde sub diversa ratione formali. Nec nos negamus, quod si potentia superior esset fortissima, qualis est potentia Dei, posset se sola omnino vincere inferiorem; sed tunc casus virtus naturalis esset per accidens iusta, vt in Adamo, à qua contingentia præcudit nostra conclusio.

18 Sed dices (& erit secundum argumentum) si vis illa ex potentia superiori descendens ad potentiam inferiorem respicit obiectum virtuosum sub diversa ratione formali, ac virtus, sequitur primo, actum ab ea productum esse specie diversum ab actu elicto per virtutem; sed hoc adverterat nobis dicentibus virtutem produci per actus similes actibus ipsius virtutis, & in ordine ad idem obiectum formale: ergo. ¶ Sequitur secundò, nec ex illis posse produci virtutem. Quia terminus actus debet esse eiusdem rationis cum principio actus; sed vis illa per nos est diversæ speciei, ac habitus virtutis: ergo. ¶ Sequitur tertio, vim illam non esse perfectiorem, nec esse imperfectiorem virtute; quod implicat, cum sit diversæ speciei. Non esset perfectior; aliâs meliùs cum illa, quam cum virtute se haberet potentia inferior; sed hoc est falsum: siquidem virtutem conatur acquirere, & deserere illam vigorositatem. Non esset imperfectior; aliâs ea media non posset virtutem acquirere, cum illam non præcontineret.

Respondetur ad primum inconueniens, quod licet vis illa sit diversæ speciei absolute ab habitu virtutis, quatenus importat tendentiam in obiectum tali modo, convenit tamen cum eo, secundum quod exprimit tendentiam præcedentem à modis facile, & difficile, & producit virtutem principaliter secundum eam rationem, in qua conveniunt, & instrumentally secundum eam, in qua exceditur à virtute. ¶ Ad secundum, & tertium, dicendum est, quod licet illa vis sit diversæ speciei, & imperfectior habitu, potest tamen cum producere repetitione actuum: Nam, vt inquit D. Thomas quest. citata de Virtutibus art. 9. ad 11. & 2. 2. quest. 24. art. 6. ad 2. per primum actum illius virtutis elicitur à potentia superiori fieri in inferiori aliquam dispositionem, & per secundum aliam perfectiorem, & sic vsque ab ultimis, qui in virtute cæterorum præcedentium (vt loquitur D. Thomas) defectò producit habitum.

19 Sed vrbes (& erit tertium argumentum) Nam vis illa semper est eadem saltem specie pro omnibus actibus virtutis productivis: ergo non poterit, quamvis hi multiplicentur, producere in potentia inferiori dispositionem perfectiorem, & perfectiorem; quod necessarium erat iuxta doctrinam D. Thomæ, vt actus ultimus in virtute cæterorum efficiat tandem virtutis habitum. Adde: Nam dispositio prima per primum actum producta, vel evanescit ad positionem secundam; vel non? neutrum dici potest: Non primum; nam cum secunda sit specie diversa à prima, nec ei contraria, sunt compossibiles, nec adest alia causa destruens eam. Nec secundum; quia omnes dispositiones superfluant semel acquisito habitu virtutis.

Ad argumentum, seu replicam respondetur, vim illam frequenter esse eiusdem speciei pro omnibus actibus, & producere dispositiones diversas specie, quatenus primus actus non invenit capacitatem in potentia, nisi ad dispositionem imperfectam, secundus verò altiore imprimit, quia invenit minorem rententiam ex parte devictam à priori dispositione, & sic de alijs. Pro quo videndus est D. Thomas 1. part. quest. 118. art. 2. ad 2. docens, ex vna potentia generativa produci in materia plures formas imperfectas intermedias specie diversæ, quovis que ad perfectissimam disponatur.

Ad additamentum dicimus, dispositionem primam imperfectam deficere ad præsentiam perfectioris, & hanc ad introductionem virtutis; neque hoc plus difficultatis habere, quam diluunt N. Complur. abbrev. de Generatione disp. 4. num. 58. explicantes qualitatum intentionem. Addimus nos, aliud motivum vrbes frequenter militans pro destititione plurium realitatum, videlicet, esse talis conditionis, vt parum petant durare, cum deunt pro determinatis functionibus, quibus expletis ex sua natura deficient; munus autem, pro quo illa dispositio introducit, est sigillare potentiam ad receptionem perfectioris connotatis alijs actibus, quæ existente statim deficit, quin opus sit alicuius impellentis.

20 Arguitur ultimum: Nam potentia inferior non indiget superioris elevatione, vt in se producat habitum virtutis: ergo nec ad producendum virtutis habitum. Antecedens probatur: nam vis ex potentia superiori descendens perficit potentiam inferiorem, & in actu constituit; sed nihil perfectivum potentie, vtpote bonum, potest concurrere in malum, quale est vicius; ergo nequit ad productionem illius elevari.

Respondetur negando antecedens. Cuius probationis maior sic distinguitur: *vis Or. perficit potentiam inferiorem*, hoc est, determinat, conced. maiorem: *perficit* reduendo in meliorem statum, subdisting. si elevatio est in se bona, iterum conced. maiorem. Sed negari debet sup.



suppositum, scilicet, esse in se bonam elevationem, quæ à potentia superiori in inferiori descendit in ordine ad virtutum, sed ad summum erit quædam determinatio sanè deterior, & vix potè actualior. Pro cuius solutione dicta sufficiant; nam fortè reddibit fermo tanquam in proprio loco in tract. de Peccatis. Interim possunt videri alie solutiones apud N. Salmant. in præf. disp. 1. à num. 58. & tract. de Peccatis disp. 3. à num. 14. & disp. 1. à num. 43.

21. Si verò inquiras, quæ sint potentie superiores elevationem in inferioribus causantes? Respondetur ex D. Thoma quæst. citata de Virtut. in corpore (quamvis satis perspicuum esse oportebat apud in Philosophia emeritos) respectu intellectus possibilis esse intellectum agentem; quia intellectus possibilis semel in actu constitutus, per illius illuminationem, connotantque motionem voluntatis natus est ipsam inclinare in objecta virtuosam; & similiter irascibilem & concupiscibilem, iuxta dicenda disp. sequenti, ubi agemus de subiecto virtutum.

## DUBIUM III.

Verum virtus humana aliquid efficiat in actibus. Et quid sit?

NON possumus difficultatis propositæ resolutionem tradere succincte, nisi prænotando aliqua brevissimè.

## §. I.

Animadversiones.

22. Nota primò, in actu virtuoso plures formalitates inveniri, de quibus merito dubitari potest, ad quas habitus virtutis concurrat, videlicet, entitatem physicam materialem (sub qua comprehenditur modus physicus constitutivus libertatis, iuxta dicta in tract. de Voluntario) moralitatem, & facilitatem. Huius utrimque formalitatis existentia facile suadet (existentia aliarum formalitatum satis constat ex duobus tractatibus præcedentibus) Nam quoties ex parte principij activè effectum producens datur specialis virtus, toties ex parte effectus debet relucere specialis ratio, sive formalitas producta; sed actum esse facilem requirit ex parte potentie specialem activitatem, quæ nimium, erit habitus, qui activè influat in actum, iuxta dicenda in prima assertione; ergo facilis est aliquis modus realis in actu productus; quia entitas physica, & moralitas præcendant ab influxu facili, & difficili.

Meditatio aliarum formalitatum, quæ in actu reperiri solent, mentionem non facimus, putà intentionis, perfectionis, firmitatis, convenientie, & delectationis; quia de intentione

moralis non occurrit specialis difficultas, quæ enodari non valeat attenda intentione physica actus. Aliæ formalitates relatæ coincidunt cum facilitate, vt explicant perdocti N. Salmant. in præf. disp. 1. num. 34.

23. Ex quibus prænotatis satis constat, quæ sint formalitates, de quibus dubitatur, an efficiantur, necnè à potentia simul cum habitu virtutis. Sed nota secundò, entitatem physicam actus, prout distinctam à moralitate, & facilitate, posse considerari dupliciter; vel materialiter, seu specificativè; vel formaliter, prout fundat reduplicative prædictas formalitates, vt de materiali peccati solet dici: quæ duplex expressio potest etiam considerari in moralitate fundante facilitate. Et de his sub vtraque expressione procedit dubium.

Circa quod multiplex versatur sententia, Prima docet, habitum virtutis non concurrere activè ad operationem, sed tantum disponere ad illam. Pro qua refertur Aureolus. Et probabilem reputat Scotus 1. dist. 17. quæst. 2. Qui velle, qui consequenter ad sua principia relatæ num. 1. absolute docet, virtutem, in quantum talem, non esse operativam, quia est relatio. Secunda asserit, habitum virtutis solum concurrere ad entitatem actus. Pro qua referuntur Suarez, & alij putantes moralitatem, & facilitatem esse denominationem tantum extrinsecam. Tertia asseruit, virtutem influere in substantiam actus, moralitatem, intentionem, facilitatem, ceterasque formalitates, quæ reperiuntur in actu. Quæ tribuitur Caprolo, Hispali & Caiet. Quarta inquit, solum concurrere ad facilitatem. Ita Vazquez disp. 8. cap. 2. Monach. ref. disp. 30. quæst. 2. & alij. Quinta, & vltima defendit; non concurrere, nisi ad moralitatem, & facilitatem, vel ad entitatem physicam, reduplicative prout prædictas formalitates fundat. Ita N. Salmant. in hoc tract. disp. 1. dub. 3. Quam sententiam sequentibus assertionibus elucidabimus.

Dubij resolutio per plures assertiones.

24. Dicendum est primò, virtutem concurrere effectivè ad actum virtuosum. Hæc assertio procedit contra Auctores primæ sententie. Et colligitur ex D. Aug. lib. de Bono coniug. cap. 12. ubi ait: Virtutem esse habitum, quo aliquid agit. Ex Philosopho 2. Ethic. cap. 2. & 6. ubi diffinit, virtutem per hoc, quod est habitus, à quo bonus efficitur homo, & quo bene suum opus ipse reddit, efficiatque. Ex D. Thoma in præf. art. 2. ubi concludit: Et idè de ratione virtutis humana est, quòd sit habitus operativus. Et art. 3. Virtus humana est habitus bonus, & bene operativus. Et

Et probatur ratione: Nam virtus est dispositio, & complementum potentie activæ, non vti que, sed ex parte eius se tenens, complens, & perficiens eius activitatem; sed quod hoc modo concurrat, quid activum est: ergo virtus aliquid efficit in actu. Consequentia est legitima. Maior, præterquamquod est expressa D. Thomæ in præf. art. 2. in corp. videtur ab omnibus admittenda. Et ex dictis dub. 1. est facilis probationis, eò quòd potentia indiget habitibus virtuosis in ordine ad proprium finem, qui est subijci activè, & operative regulis morum, & hoc est virtutem esse dispositionem, & complementum potentie activæ. Minor verò probatur: nam hæc ratione docent communiter Thomistæ, assensum præmissarum, speciem intentionalem, præmotionem physicam, ceteraque id genus gaudere munere activitatis respectivæ: ergo etiam virtus.

Et confirmatur: Nam idè intellectus agens, & voluntas in ordine ad bonum proprium non indigent habitibus, quia persè sunt sufficienter activæ, & completæ: ergo quæ indigent habitibus, est, quia ex se non sunt sufficienter activæ: ergo habitus complentes, & perficientes earum activitatem debent esse activi. Confirmatur secundò: Nam actus evadit similis virtuti: ergo hæc est effectiva illius. Patet consequentia: Nam omnis forma, cui assimilatur effectus, est ratio agendi illam, saltè secundum eam rationem qua assimilatur, vt inductivè potest ostendi.

25. Dicendum est secundò, virtutem acquisitam, de qua est tantum sermo, non concurrere per se ad entitatem physicam actus virtuosus secundum se sumptam. Hæc assertio colligitur ex Philos. 2. Ethic. cap. 5. dicente: Potentias esse, per quas sumus potentes irasci, & misereri; sed habitus, quibus bene, & male. Quibus verbis satis distinguit inter entitatem physicam operationis, & modum moralitatis, assensens potentiam sufficere ad entitatem, & habitum concurrere ad modum.

Colligitur etiam ex D. Thoma in 4. dist. 49. quæst. 1. art. 2. quæstione. 2. ad 2. ubi ait: In actu duo est considerare, scilicet substantiam actus, & formam ipsius, à qua perfectionem habet: actus ergo secundum substantiam principium est naturalis potentia, sed secundum formam suam principium eius est habitus. Sed vide, ne ex hoc tibi subrepat, quòd potentia non concurrat activè ad moralitatem: nam si, non obstanti, quòd habitus supernaturalis est tota ratio agendi actum supernaturalem, potentia est, quæ agit, & virtus est ratio agendi, itaut consuetur vnicum principium adæquatum, quanto magis potentia simul cum habitu naturali concurrerit ad modum moralitatis, & non solum habitus?

Et probatur ratione fundamentali: Nam habitus virtutis non concurrerit ad eam formali-

tatem actus, ad quam potentia eo non indiget; sed potentia habitu non indiget ad entitatem physicam actus secundum se: ergo non concurrerit ad illam. Minor probatur: nam potentia non indiget habitu ad effectum, qui aliquo modo non pertinet ad ordinem rationis; sed entitas physica actus secundum se non pertinet ad ordinem rationis: ergo potentia non indiget habitu ad entitatem physicam actus secundum se. Maior est certa: nam potentia non indiget habitu ad attrigendum obiectum proportionatum, & nullo modo superexcedens, vt tradit D. Thomas infra q. 56. art. 6. & certum est, quòd obiectum non pertinens ad ordinem rationis est proportionatum potentie, cum æquè attingatur à brutis, ac nobis. Minor verò probatur: nam est aliquid commune nobis, & brutis: ergo secundum se non pertinet ad ordinem rationis. Adde: Quia id solum spectat ad ordinem rationis, quod est in aliqua specie moralitatis; sed entitas physica actus non est in aliqua specie moralitatis, sed est merum subiectum illius indifferens ad moralitatem bonam, & malam; & potest esse sine vlla saltè per accidens: ergo non pertinet ad ordinem rationis. Maxime: Quia si influeret in entitatem physicam actus, specificaretur ab illa, sicut actus specificatur ab obiecto secundum suum esse physicum: ergo habitus virtutis non esset essentialiter virtuosus, vt vult Scotus, sicut nec actus est essentialiter virtuosus.

26. Dicendum est tertio, virtutem effectivè producere moralitatem actus; & ex consequenti facilitatis modum, necnon per prius entitatem physicam illius, prout fundat prædictos modos, & alios quoscumque pertinentes ad ordinem morale. Hæc assertio est conformis vltimæ sententie, & procedit contra alias relatæ num. 23. colligiturque ex D. Thoma loco proxime relato.

Quoad primam partem probatur ratione fundamentali: Nam virtus concurrerit activè ad id, quod potentia ratione illius præcontinet; sed potentia ratione virtutis præcontinet moralitatem actus: ergo virtus concurrerit ad illam. Minor probatur: nam id præcontinet ratione virtutis, quod excedit vires proprias ipsius potentie, descenditque ex illustratione potentie superioris; sed actus, prout moralis, seu prout conformis regulis morum, ac proinde prout bonus, excedit vires proprias ipsius potentie, derivaturque ex elevatione potentie superioris, vt sepe dictum est: ergo potentia ratione virtutis præcontinet moralitatem actus.

Explicatur hoc: Nam omnino certum est, quòd ratio est regula moralitatis, & quòd bonitas moralis consistit in adæquatione actus cum prædicta regula; sed etiam certum est, quòd ratio excedit limites cuiuslibet appetitus: ergo entitas actus vt bonus. Et propter hanc rationem docet D. Thomas in quæst. supra relatæ de V. p. quod



quod voluntas, & appetitus sensitivus sunt subiectum virtutis, prout possunt elevati ab intellectu.

Et confirmatur: Nam virtuosus actus elicitur à potentia habente virtutem evadit similis virtuti, & non potentie: ergo virtus concurrat ad eius moralitatem. Patet consequentia, propter dicta num. 24. Diximus à potentia habente virtutem: quia licet ad moralitatem vtrumque non requiratur virtus propriè dicta, sed sufficiat qualibet vigoritas reductivè pertinens ad ipsam; semel tamen quod virtus existat in potentia, & hæc eliciat actum virtutis, proculdubio debet effectivè concurrere ad eius moralitatem: quia non sufficit potentia, nec in præsentia virtutis propriè dictæ existit alia vigoritas; nec est necessaria: ergo necesse est, quod ipsa virtus influat in moralitatem.

27. Ex quo planè deducitur veritas nostræ assertionis quoad secundam partem: Nam prior est moralitas actus, quam eius facilitas, hæcque se habet veluti modus illius: ergo per prius insinuat in moralitatem, & ex consequenti in facilitatem. ¶ Ex quo etiam probatur quoad ultimam partem: nam tam moralitas, quam facilitas est modus entitatis physice, & in ea fundatus; sed generaliter modus non attingitur aliter, quam ad attingentiam sui fundamenti, quando hoc cum illo producitur: ergo habitus virtutis per prius attingit entitatem physicam actus, & ex ea resultat moralitas, & ex moralitate facilitas; sed entitas physica secundum se sumpta non producitur ab habitu virtutis, vt ex dictis pro secunda assertionem liquet: ergo producitur ab eo sumpta reduplicative, hoc est, prout fundat prædictos modos. *Adhæc* Nam non potest negari, quod entitas physica actus virtuosus est fundamentum moralitatis, & facilitatis; sed ad causam producentem rem fundatam atinet producere fundamentum, vt fundamentum; & propterea quia Deus nequit attingere malitiam peccati, nequit producere entitatem physicam, vt fundantem illam: ergo &c. Diximus quando hoc cum illo producitur: quia non dubitamus, modum aliquem posse perse primò terminare influxum agentis, vt contingit in intentione qualitatibus. Sed hoc est, quia entitas illius supponitur producta; ac in nostro casu actus quoad suam entitatem producitur simul cum modo.

## §. III.

## Argumenta contra primam assertionem.

28. **C**ontra primam assertionem arguitur primò: Nam plura sunt, quæ perficiunt potentiam activam, eamque faciunt ad exercendas suas operationes, & non influunt activè: ergo idem de habitu virtutis dicendum est. Patet consequentia; nam ex vi huius

rationis probavimus, virtutem insuere activè in actum virtuosum. Antecedens probatur: nam habitus icinandi ob inanem gloriam disponit, & faciliat potentiam ad icinium ex honesto sine, eum facilius icinet, qui propter inanem gloriam icinuat, quam qui nunquam icinnavit, & tamen non insinuat activè in icinium ex honesto sine: ergo. Item bona corporis dispositio faciliat ad opera virtuosa exercenda; & non propterea insinuat activè in illa. Tandem gravitas; & levitas corporis disponunt corpus ad motum, quia concurrant, nisi merè dispositivè.

Ad hoc argumentum responderetur negando antecedens, si intelligatur de facilitate, quam habet actus perse: Nam dupliciter actus potest dici *difficilis*, vel perse, quia ex se, & non ex aliquo impedimento extrinseco superexcedit potentiam; vel per accidens ratione alicuius impedimenti. Quod ergo faciliat potentiam hoc posteriori modo per remotionem impedimentorum, non est necesse, quod concurrat activè ad operationem potentie, & hoc modo se habet dispositio corporis, & habitus icinandi propter inanem gloriam, vt num. 12. iam insinuavimus. At virtus ponitur ad actum, qui per se est difficilis potentie, ideoque opus est, quod concurrat activè cum potentia ad productionem actus. Per quod ad primum, & secundum exemplum constat. Ad *tertium* responderetur, quod cum motus gravis, & levis sit à generante, satis est, quod gravitas, & levitas præsent influxum per dimanationem, eo modo quo substantia concurrat ad productionem proprietatum.

29. Arguitur secundò: Nam virtus causatur effectivè per actus eiusdem speciei cum eis, qui post acquisitionem virtutis eliciuntur: ergo non insinuat in illos effectivè. Consequentia probatur: nam actus est causa æquivoca, & si est principalis, est perfectior habitu; sed in causis æquivocis non est reciprocatio, itaut idem effectus secundum speciem, qui procedit à causa æquivoca, possit producere causam ipsam: neque id, quod est perfectius, potest produci ab imperfectiori: ergo si virtus causatur per actus, actus nequit produci à virtute.

Confirmatur: Nam repugnat, quod idem effectus secundum speciem sit effectus immediatus, & mediatu respectu eiusdem cause; sed hoc contingeret, si habitus virtutis effectivè insinueret in actum: nam ante eius acquisitionem actus procedit immediate à potentia, & post acquisitionem illius procedit mediante virtute: ergo.

Ad argumentum responderetur concedendo antecedens; & negando consequentiam. Ad cuius probationem dicendum est, quod actus, & habitus possunt considerari dupliciter, vel secundum tendentiam specificam ad obiectum; & hoc pacto non differunt specie, nec datur excessus

cessus vnus supra alium: vel prout habitus dicit permanentiam, & non actus, & actus dicit maiorem actualitatem supra habitum. Si priori modo considerentur, clare constat ex nullo capite convinci, quod actus non producat habitum, & actus habitum; & quod non detur mutua reciprocatio, sicut in calore, & calefactione. Si verò considerentur posteriori modo, potius sunt causæ instrumentales, nam actus producit habitum in virtute potentie superioris; & habitus actum in virtute Dei: nec hoc modo repugnat, quod detur mutua reciprocatio, nec obstat maior perfectio vnus supra alium. Et absolute potest insitari in artifice, qui forcipe efficit malleum, & malleo forcipem.

Ad confirmationem satis constat ex dictis num. 18. vbi vidimus ex D. Thoma, actum virtuosum non produci à potentia, nisi vt elevata per aliquam vigorositatem descendente à causa superiori, vel per virtutem, aut dispositionem productam per actus anteriores, itaut in actu non producatur facilitas, vsquedum habitus, qui ad eam disponit, producatur instrumentaliter ab actu procedente à vi illa, vel dispositione in virtute superioris potentie.

30. Arguitur tertio: Nam habitus non concurrat ad actum vt causa partialis, neque vt causa totalis: ergo nullo modo concurrat. Antecedens quoad primam partem suadet: nam causa partialis nequit effectum producere, nisi in consortio alterius causæ partialis; sed potentia potest producere actum sine habitu: ergo non concurrat habitus, vt causa partialis. Quoad secundam ostenditur: nam repugnant duæ causæ totales proximè respectu eiusdem numero effectus: ergo neque possunt concurrere vt causæ totales.

Responderetur fatendo, quod habitus, & potentia non concurrunt, vt causæ partiales propriæ: quia ad hoc requiritur, vt concurrant ad effectum eiusdem rationis, itaut pars effectus correspondeat vni, & pars alteri; vt duo portantes eundem lapidem, & duo luminosa producentia eandem lucem. Potentia verò, & habitus non se habent huiusmodi: quia potentia, vt habitus producit totum actum: qua ratione intellectus vt actuatus specie non est duplex causa partialis. Bene verum est, quod esse non detur nisi vna potentia, datur tamen duplex quantitas virtutis; vna in ordine ad actum secundum suam entitatem, & alia in ordine ad moralitatem, & alias formalitates illam consequentes. Sed hoc adhuc non sufficit, vt concurrant vt virtutes partiales: quia etiam virtus potentie concurrat saltem radicaliter ad moralitatem, & proximè vtraque virtus est in ordine ad effectus diversi ordinis, & realiter distinctos. Interest tamen magnum discrimen inter illud exemplum speciei, & virtutis: nam species concurrat ad totum actum, quia intellectus indiget ea ad omnem eius for-

malitatem; potentia verò non indiget virtute, nisi ad moralitatem, & facilitatem. Ex quo à fortiori inferitur, non concurrere vt causæ totales; quia nihil producit habitus per modum virtutis, quod non producat potentia vt talis.

31. Arguitur quarto: Nam ex nostra sententia inferitur, virtutem principaliter concurrere ad actum, quam potentiam; consequens est aperte falsum, cum potentia sit, quæ agit, & virtus sit, qua agit: ergo non concurrat activè. Sequela probatur: nam forma principaliter insinuat, quam id respectu cuius est forma, & hac ratione principaliter concurrat calor aquæ calidæ, quam ipsa aqua; sed virtus est forma actus, & perficiens potentiam: ergo principaliter concurreret, quam illa.

Responderetur negando sequelam. Cuius probatio tantum suadet in illis formis, quæ non dantur propter operationem subiecti, sed propter operationem propriam, vt se habet calor, in aqua. Virtus autem datur propter operationem ipsius potentie, in qua est, & in qua residet virtus proxima ad entitatem operationis, & virtus radicalis ad moralitatem illius, vt concurrat proximè vt quod ad totam operationem; & habitus virtutis præcisè vt quo, & præcisè ad moralitatem. Vnde his de causis principaliter debet operatio secundum se totam attribui potentia, quam virtuti. Ideoque ex hoc capite non debet denegari ei influxus effectivus in actum virtuosum. Et confirmari potest exemplo speciei intellectus libillis.

## §. IV.

## Argumenta contra ceteras assertiones.

32. **A**dversus secundam assertionem arguitur primò: Nam virtus exte- nus concurrat ad actum, quatenus præstat facilitatem potentie; sed etiam præstat illi facilitatem, vt eliciat actum secundum entitatem physicam: ergo concurrat ad entitatem physicam actus. ¶ Confirmatur primò: Nam voluntas (v. g.) indiget habita ad entitatem physicam actus, & non solum ad moralitatem: ergo habitus virtutis concurrat ad actum secundum suam entitatem. Antecedens probatur primò: Nam habitus datur ad tollendam indifferenciam, quam voluntas habet ad hunc, vel illum actum: ergo indiget illo ad entitatem physicam. Secundò: Propterea indiget habitu ad moralitatem, quia subordinatur intellectui, & rati- quam potentie superiori; sed non potest elicere actum secundum entitatem physicam nisi dependenter ab intellectu: ergo. Quæ probatio etiam videtur in appetitu sensitivo, prout motus & voluntate in ordine ad aliquem actum liberum, & indifferentem.



Confirmatur *secundò*: Nam intellectus habet plures habitus; & tamen in eius actibus nihil datur superexcedens: ergo etiam requiritur habitus ad entitatem physicam actus, esse non superexcedat potentiam.

Ad argumentum responderetur concedendo maiorem; & negando minorem: quia habitus persè loquendo non præstat facilitatem ad entitatem physicam actus, sed ipsa potentia ad illam omni difficultate caret. Potest tamen dici, quòd per accidens præstat facilitatem ad totum actum propter remotiorem impedimentorum, sed hoc non arguit influxum effectivum in entitatem actus.

Ad primam confirmationem responderetur negando antecedens. Ad primam probationem dicimus, habitum non determinare voluntatem, nec eius indifferentiam physicam, sed tantum indifferentiam morale; cum ad amandum bonum proprium naturale, adhuc ut subiectum rationi, non indigeat virtute. *Adde*: quòd adhuc existente habitu voluntas manet indifferens ad hunc, vel illum actum, cum habitibus utatur, cum volumus. ¶ Ad *secundam* dicendum est, quòd voluntas aliter dependet ab intellectu in ordine ad actum physicum, aliter verò ad eius moralitatem. Ad actum physicum solum pendet tanquam à proponente, itaut eius propositio tantum prærequiritur per modum conditionis physice, qua supposita voluntas habet omnem vim ad eliciendum suum actum. At ad moralitatem dependet tanquam à proponente per synderesim, & prudentiam, quæ sunt participatio primæ rectitudinis moralis, & aliquid superexcedens: & propterea comparatur ad intellectum tanquam ad potentiam propriè superiorum, qui non se habet præcisè per modum proponentis, sed etiam per modum derivantis aliquam vim in voluntate, qua confortatur, & elevatur ad eliciendam moralitatem.

Ad urgentiam, desumptam ex appetitu sensitivo vi moto à voluntate, dicendum est: quòd cum prædictus appetitus ex se non sit liber, omnis actus liber *vt talis* est aliquid superexcedens: & propterea eget aliqua motione, & participatione descendente à prima potentia formaliter libera. Que doctrina potius est maior confirmatio nostræ doctrinæ. Non tamen indiget habitu, nisi dum actus eius transcendit ordinem physicum, quo pacto pendet ab intellectu tanquam à potentia propriè superiori, sicut de voluntate dictum est.

Ad secundam confirmationem: Responderetur negando minorem: Nam veritas sine defectu est quid superexcedens intellectum possibilem; & propterea indiget elevatione descendente ab intellectu agente tanquam à potentia superiori.

33 Arguitur *secundò*: Nam effectus proprius virtutis nequit nisi ab ea causari; sed mo-

ralitas actus, & entitas prout eam fundans potest sine virtute causari: ergo non est effectus proprius virtutis. Minor evidenter constat in actibus producentibus ipsam virtutem.

Hoc argumentum procedit contra tertiam assertionem. Et facilis solutio est, ad illud que constat ex dictis, tum in hoc dubio, tum in precedenti. Nam nos non affirmamus, omnem moralitatem actus esse privative effectum virtutis; sed tantum illam, quæ est confusa cum facilitate; hæc enim, cum præsupponat virtutem existentem in potentia, & impossibilem cum alia motione, seu dispositione de linea virtutis reductivè, opus est, quòd procedat effectivè à virtute; quia potentia aliàs ex se non habet sufficientem virtutem ad eius productionem.

34 Sed dices: Ex hac solutione, & ex dictis in toto hoc dubio inferitur, virtutem humanam esse potentiam totam rationem agendi moralitatem actus, ceterasque formalitates eam consequentes; sed hoc adversatur doctrinæ communi Thomistarum distinguendum inter habitus supernaturales, qui sunt potentie tota ratio agendi; & naturales, qui supponunt *posse* simpliciter: ergo virtus non est necessaria ad moralitatem. Sequela probatur: eo lumen gloria est proxima, & adæquata ratio agendi visionem beatificam, quia sine eo non potest intellectus creatus elicere illam; sed id ipsum affirmamus de virtute relatè ad moralitatem actus: ergo est tota ratio agendi.

Responderetur cum N. Salmant. in præf. disp. 1. à num. 59. concedendo sequelam maioris: quia moralitas est absolute quid excedens proportionem potentie inferioris, in qua est virtus, & ad tollendam improportionem elevatur potentia inferior à superiori media motione ab ea descendente, & in virtute illius potentia inferior producit instrumentaliter virtutem, sed potentia superior principaliter. Ob quam rationem lumen gloria est tota ratio agendi visionem beatam. Nec commune placitum Thomistarum statuentium virtutes naturales supponere *posse* simpliciter in potentis, & solum tribuere facilitatem officii nostræ doctrinæ: Quia illud verificatur, vel quia supponunt *posse* ad entitatem physicam actuum, quod non accidit in supernaturali virtute: vel quia possunt acquiri virtute, & influxu potentie superioris existentis in eodem supposito, quod in supernaturali virtute non habet locum.



## DUBIUM IV.

Vtrum sit de ratione Virtutis moralis consistere in medio?

DE medio virtutum agit D. Thomas in 1<sup>a</sup> quæst. 64. Nos verò duplici titulo præmittimus hoc dubium in prima disputatione, & quia nullus opportunior locus se offert, & quia conducit ad naturam virtutis declarandam, & exponendam quandam eius distinctionem desumptam ex Philosopho 2. Ethic. cap. 6. & est huiusmodi: *Habitus electivus in mediocritate consistens, diffinita ratione quoad nos, vt determinaverit ipse prudens.* Pro cuius, & dubij luce aliqua prænotanda veniunt.

## §. I.

Prænotabilia ad dubij intelligentiam.

35 **M**edium, quod, vt ex ipsis terminis constat, dicit recessum ab extremis excessus, & defectus, dupliciter, si ve in duplici subiecto quoad præfens, potest, & debet considerari: nam cum actio virtuosa effectivè oriatur à potentia, in qua virtus residet, quatenus per virtutem disponitur, & elevatur in ordine ad proprium obiectivum virtutis, medium esse considerari potest & in actione virtuosa, & in obiecto circa quod versatur; & de eis omnibus inquiri quæsitio.

Ceterum quia intellectus nequit, an aliquid sit in medio, vel non (quod est idem, ac esse adæquatum, vel inadæquatum) nisi assignetur terminus, vel mensura præfixa, cui conformata res dicatur esse in medio, & à qua dissentiens appellatur extrema, & non conformis; opus est assignare huiusmodi mensuram, per cuius conformitatem obiectum virtutis sit in medio; & similiter de actione est phylosophandum. Huiusmodi, quod attinet ad obiectum, iuxta diversas virtutes petit esse diversa. Nam si loquamur de obiecto iustitiæ, sumitur eius æqualitas per conformitatem ad extinctionem debiti: v.g. quis debet decem Petro, quia mutuo accepit, vel servavit vt obiectum actus iustitiæ resistueris sit in medio, debet esse potens extinguere debitum Petri, & hæc æqualitas appellatur à D. Thoma loco supra relato art. 2. in corp. *medium rei.*

36 Ex quo fit, quòd si reipsa ponitur extinctio iuris alterius, quomodoconque ponatur, datur obiectum iustitiæ in medio; & sic si actus fuerit vitiosus, non erit in materia, vel circa obiectum iustitiæ, sed aliàs. Adæquatio recentita, quamvis requiratur ad iustitiæ virtutem, non tamen iusticiæ vt hic, & nanc obiectum sit virtutis iustitiæ, sed exigitur alia sunt conju-

Paul. Theol. Salm. Tom. II.

nis ceteris obiectis virtuosis. Quæ adæquatio consistit in adæquatione cum lege Dei præcipiente, vel prohibente obiectum, quæ quidem lex nobis ultimè intimatur per dictamen synderesis, vel prudentiæ, quæ solet *consentientia* appellari. Vnde obiecta illa, quæ fuerint huic dictamini conformia, dicuntur esse in medio: ac proinde lex æterna, prout participatur in dictamine nostro, erit mensura, cui applicata obiecta virtutum sunt in medio rationis obiectivæ.

37 Ultra dictamen prædictum, quo indicamus posse tale obiectum per virtutem hic & nunc amplecti, quodque diximus esse mensuram, cui conformatum est in medio rationis necessarium est aliud, vt virtus circa tale obiectum operetur: huiusmodi est actus prudentiæ, cui actus virtutis debet omnino conformari, vt sit in medio rationis. Vnde cum sit de ratione prudentiæ attendere ad omnes circumstantias temporis, loci, operantis &c. iuxta dicta tract. præced. disp. 1. à num. 67. inde est, quòd, vt actus virtutis sit in medio rationis, debet omnino conformari imperio prudentiæ omnia hæc prospicienti. Et hæc est intelligentia, & sentus quæstionis, quantum capere potuimus.

## §. II.

Sententia communis Theologorum.

38 **D**icendum est *primò*, esse de ratione virtutis moralis versari circa obiectum in medio rationis consistens semper, & aliquando etiam in medio rei. Hæc ultima conclusionis pars additur propter iustitiam, cuius obiectum, nisi supponatur in medio rei, non poterit ratione regulari. Conclusio univèrsaliter accepta quoad mediocritatem obiecti, & actus est Div. Thomæ loco supra citato art. 1. & 2. quem sequuntur ibi N. Salmant. Ioannes à S. Thoma disp. 17. art. 1. Gonet disp. 5. art. 1. & communiter Thomistæ. Et suadet *primò* auctoritate PP. qui, vt referunt præfati Auctores, eam expresse tradunt: Hierony. in cap. 10. Eccles. ait: *Virtutes in medio sunt, & nimietas omnis in vitio est.* Nazianz. *Ne declines ad dexteram, nec ad sinistram, ne per contraria in peccatum incidat.* Mittimus alios Patres, quia videri possunt apud Auctores prædictos.

39 Et probatur ratione D. Thomæ specialiter suadente mediocritatem obiecti. Et potest sic formari: nam de ratione virtutis moralis est ordinare eam habentem in bonum rationi conformes; sed præcisè ordinat in proprium obiectum, nec potest res aliter se habere: ergo obiectum virtutis est bonum regulis rationis conformis: iam hæc deus est esse in rationis medio, iuxta explicationem supra positam: ergo de ratione virtutis moralis est versari circa obiectum in medio rationis consistens.



Et confirmatur: Quia frequenter obiectum virtutis moralis est inter extrema, quæ à se, & à ratione deficient per excessum, aut per defectum: ergo est in medio, & rationi conforme. Patet consequentia: nam si non esset rationi conforme, recedere ab eo deficeret, aut excessivè, non esset à ratione recedere. Antecedens etiam constat in obiectis fortitudinis (v. g.) & humilitatis, à quorum primo recedit per excessum obiectum audaciæ, & per defectum timoris inanis: a secundo verò deficienter se habet obiectum superbiz, & excessivè nimia, & contemptibilis despectio. Excipitur ab hac regula obiectum iustitiæ, cui nihil per excessum contrariatur saltem in propria materia: quia ex eo quodd quis plus debito solvat, non facit contra iustitiam, nisi aliàs reddatur impotens ad satisfaciendum alteri.

40. Dicendum est secundò, esse de ratione virtutis moralis consistere in medio rationis, etiam ex parte actus formalis. Et ratio est: quia est de ratione actus virtutis moralis taliter ab ea habere bonitatem, quod ex nullo capite vitiosi possit malitia formalis, ut diximus tract. præced. disp. 1. dub. 5, sed ad hoc necessariò requiritur esse conformem dictamini prudentiæ se tenentis ex parte operantis, quod est idem ac actum virtuosum esse in medio rationis: ergo actus virtuosus moralis debet consistere in medio rationis.

## S. III.

## Obiectionum enodatio.

41. Sententia contraria licet non probetur Authoribus (nollus quippe referat, qui principio ita apud Philosophos, & Theologos familiariter aperte contradicat) potest tamen fundari in sinistra intelligentia præcedentis doctrine, & sequentibus argumentis roborari. Arguitur ergo primò: Nam iuxta nostram explicationem non satis distinguuntur inter se virtutes morales, & theologicz in eo, quod est in medio consistere; sed D. Thomas art. 4. quæst. citatæ expressè affirmat, non esse de ratione virtutis theologicz consistere in medio: ergo nequit sustineri explicatio prædicta. Maior probatur: Tum, quia eo dicimus, obiectum virtutis moralis consistere in medio rationis, quia sinit inter excessum, & defectum, ut videre est in obiecto fortitudinis silente inter nimiam audaciam, & puerilem timorem; sed obiectum fidei (v. g.) mediatur inter hoc, quod est credere in Deo unitatem, & quaternitatem personarum: ergo. Tum etiam: nam actus virtutum theologiarum etiam dependent in fieri à prudentia; quæ sanè dicitur, quando debeant elici, vel omitti, quia non esset prudentia (simo nec charitas) semper conari ad diligendum Deum

cum omissione aliquis virtutis hic & nunc obligantis: ergo virtutes tam theologales, quam morales, vel nullæ, in medio consistunt.

Et confirmatur: Nam amor, qui ad creaturas propter Deum se extendit, est actus charitatis; sed hic potest consistere in medio, nec ad extrema declinare: ergo idem, quod prius. Minor probatur: nam inter creaturas exiunt irrationabilia, & demones, in quos charitatem extendere esset excedere, & peccatores viatores non amare esset deficere. Idem dicendum est de spe, quæ, si proximis non coniunctis nobis per charitatem speraret, excederet, ut docent Salomant. tract. 18. disp. 1. num. 69. si verò non speraret pro in amore coniunctis, deficeret: ergo idem ascendendum est de virtutibus theologicis, ac moralibus.

Argumento responderetur negando maiorem. Cuius probatio non stabilitur exemplo inducto: quia credere de Deo vnam tantum, aut quatuor personas est summè deficere ab illa prima materia illa, circa quam oportet fortitudinem versari, vel non pertingit ad regulam, iuxta quam doctrinam deficit paritas in obiectioe adducta: siquidem obiectum fortitudinis eò potest deficere, vel excedere, quia quandoque materia illa, circa quam oportet fortitudinem versari, vel non pertingit ad regulam, prout reuertit in rationis dictamine, vel taliter pertingit, quod ultra progrediat. At materia, circa quam potest privatè tendere primariò fides, est ipsamet regula, quæ, ut constat, nequit à se disungi: ergo ex eo, quod intellectus assentiat quaternitati personarum, ad summum potest colligi assentiri obiecto, quod ad regulam veritatis non pertingit. Idem proportionabiliter est dicendum de spe, & charitate theologicis. Videatur D. Thomas 2.2. quæst. 17. art. 4.

Benè verum est, quod quandoque actus theologici per accidens dependent à prudentia non dirigente, sed vel disponente materiam secundariam, vel aliquid simile exequente. V. g. debeo ex charitate plus diligere coniunctiores, dependet pluries ex prudentia investigare, qui sunt huiusmodi; sed semel inventi, & cogniti sunt per charitatem diligendi, non ob regulationem prudentiæ, sed ob coniunctionem ad obiectum charitatis. Similiter est dicendum, casu quo quis obligetur ad actum expressum aliquis virtutis, qui ob limitationem humane nature nequit adimpleri in sensu composito actus formalis charitatis, vel spei; tunc erit prudentia minus res ita disponere, ut obligatus non conetur actum charitatis elicere, ne adimpletio alterius præcepti impediatur. In quo (ut vides) nunquam salvatur, actum, vel obiectum virtutis theologicz perse dependere à regulatione prudentiæ, aut esse in medio, sed nos dependere, ut possimus elicere actus, ferrique in illa obiecta secundaria. Unde solvitur confirmatio.

Sed

42. Sed replicabis: Ergo idem videtur dicendum de religione, & penitentia (quas constar virtutes morales esse.) Patet consequentia: nam Deus ob summum omnium principium, quo pacto à religione attingitur, & ut infinite offerens petit summo obsequio, & infinita satisfactione pacari. Unde quod omnia hominis per has virtutes Deo non offerantur, non provenit ex eo, quod medium rationis possint excedere, cum circa summum non detur medium, sed ex alio capite, ut tradidimus de charitate, & spe.

Respondetur negando consequentiam: quia est omnia debeantur Deo summo omnium principio, Deus sua lege determinat assignat sibi offerenda. Unde esset excedere ex parte materiz plura, vel alia Deo consecrare. Similiter est dicendum de penitentia: nam Deus summè offerens solum vult ab homine puro satisfieri iuxta regulas prudentiæ: quod sanè est penitentiam, & religionem esse in medio tam ex parte obiecti, quam ex parte actus.

43. Arguitur secundò: Virginitas, & magnificentia amplectuntur extrema, illa castitatis, hæc sumptuum: ergo non consistunt in medio ex parte obiecti, neque etiam ex parte actus: siquidem quamvis magis, ac magis prudentiæ conformantur, nunquam excedunt: ergo nequeunt esse in medio. Maxime: Quia de ratione cuiuscumque actus moralis virtutis est esse ultimum potentie, sive dispositio perfecti ad optimum, quod est finis: ergo nequit convenienter restringi ad medium.

Respondetur ad argumentum cum Div. Thoma art. 1. quæst. citatæ ad 2. & 3. illas virtutes attingere medium ex parte obiecti; quod est extremum materialiter appareat, tamen relate ad præceptum de magnificentia est æquale: quia nunquam datur nisi ob ingentia motiva, vel in magno subiecto: nam decentissimum est ob insignem victoriam, (v. g.) nuptias regias, vel quia Rex aliquid operatur, magnum esse. Per quod solvitur illud de virginitate; quæ, est omnem concubitum etiam aliàs licitum præcitat, facit hoc in famularum, & honorem Dei, quod maximum bonum est, vel ob motivum religionis; ideoque frequenter voto firmatur: Deo enim nihil non debetur, omniaque possunt quandoque ei licite consecrari.

Quod additur secundo loco, explicatione evanescit. Siquidem magis ac magis conari ad conformandum se prudentiæ, vel potest esse taliter, quod, si hæc præcipiat potentia elicere hic, & nunc actum intensum vel quatuor, vel extensum ad has determinatè circumstantias, potentia hoc non prætergrediens in hac intentione, & mensura ei magis ac magis conetur conformari: vel taliter quod, illa regulatione, vel præcepto stante, velit potentia actum physicè intentionem, aut magis extensum elicere? Si hoc

ultimum dicatur, solvitur adæquatio, & conformitas ad rationem; non verò si primum. Quæ doctrina maxime habet locum in adibus virtutum appetitus sensitivi, qui pro substracto moralitatis sunt naturales passionis ipsius appetitus, scilicet amor, odium, spes, ira &c. quæ omnes, utpote corporeæ, nature sunt physicè transmutare potentias, & distemperant, & corruptionem inducere, ut conlat ex doctrina D. Thoma supra quæst. 22. art. 1. cum sequentibus, & quæst. 24. art. 2. ad 2. Idipsum potest dici de adibus intellectus, & voluntatis pro hac vita: quia est spirituales sint, pendunt tamen à ministerio sensuum, possuntque nimis intensè similem distemperant causare. Ex quo fit esse minus prudentiæ præscribere potentij, in quanta intentione, & extensione physicè debeant elicere suos actus, ne nimis in esse physico excretescentes prævaleant in subiectum, & ipsum destruant: quo pacto dicuntur deficere à medio, imo dicunt repugnantiam, ut prudentia directivè, & virtus moralis elicitive ad eos concurrant.

Ad ultimum respondet D. Thomas quæst. 64. citata art. 1. ad 1. ultimum potentia dici in virtutibus perfectum potentia: & de hoc est difficultas, utrum hæc perfectio potentia requiratur conformitates à nobis assignatas, quod intendimus.

44. Ultimo arguitur: Si quis ex ignorantia invincibili obiectum malum prosequeretur, proculdubio non peccaret, imo operaretur virtuose; & tamen obiectum illud, & actus non siterent in medio rationis: ergo non est verum debere consistere in medio. Minor probatur: nam obiectum illud, utpote in se malum, nequit conformari dictamini recto in vi legis æternæ obligantis, cui nihil malum valet esse conforme; sed iuxta dicta obiectum virtutis esse in medio in hoc consistit: ergo circa obiectum non sicens in medio poterit versari virtus moralis.

Ad hoc argumentum potest responderi cum Ioann. à S. Thom. de Conscientia disp. 12. art. 2. quod licet in illo casu obiectum non sit conforme reipsa legi æternæ, apprehenditur tamen, ut conforme, quam conformitatem profequitur virtus moralis. Unde nunquam sequitur, posse versari virtutem, nisi circa obiectum formaliter consistens in medio rationis, sive dictamini æternò conforme, cum detur præceptum divinum, ut sequamur, quod nobis apparet conforme prudentiæ, licet non sit reipsa. ¶ Secundo, & melius responderetur, negando minorem. Ad cuius probationem dicendum est, quod in illo casu tam obiectum, quam actus tendens ad illud revera conformantur legi æternæ. Pro quo recolenda sunt, quæ diximus tract. præced. disp. 1. num. 60.

DU



## DUBIUM V.

*Utrum possit quis malè uti virtute.*

**O**ccasione declarandi radicis essentialis virtutis hoc, sicut dubium præcedens excitamus. Ad cuius enodationem, & similiter elucidationem præcipue diffinitionis virtutis opus est aliqua præcipere, & cum distinctione procedere. Unde sit:

## §. I.

*Notationes nonnullæ.*

45 **N**ota primò, inter diffinitiones, quæ de virtute circumferuntur, quales late congerunt N. Salmant. in præf. disp. 1. dub. 4. celebriorem esse illam, quam ex Parente August. tradit Angelicus Magister in præf. art. 4. per hæc verba: *Bona qualitas mentis, quæ rectè vivitur, & quæ nullus male vititur, quam Deus in nobis sine nobis operatur.* Cuius diffinitionis sufficienti clariùs innovecit (inquiant ibi Authores prædicti) si loco termini *qualitas* ponatur *habitus*, ut à Div. Thoma ponitur; eò quod habitus est genus proximum. Per eam igitur factis declaratur, in quo vel per quod virtus cum alijs conveniat, & in quo, vel per quod differat, & hoc quidem modo proprio accidentium, cuius conditionis est virtus; sed hoc, & non amplius requiritur ad rectitudinem bonæ diffinitionis, ut communiter docent Dialectici: ergo est sufficiens.

Maiores, in qua est difficultas, probatur exponeudo singula diffinitionis. Etenim *qualitas*, vel *habitus* ponitur loco generis, in quo virtus univocatur cum actibus, vel cum pluribus habitibus, qui virtutes non sunt (cum vitij præcisè univocatur in supremo genere qualitatis, ut supra notavimus; à quibus omnibus differt per ly *bona*. Similiter particula *mentis* virtutem separat à sanitate, pulchritudine, & similibus, quæ qualitates subieciuntur in corpore, siquidem *mentis* nomine veniunt hic intelligendæ potentia liberæ, & subiectæ rationi, quæ solæ possunt esse subiecta virtutum, ut infra disp. sequenti amplius contabit.

Addeat etiam, *Quæ rectè vivitur*, utique proximè. Ut innuat, virtutem debere esse principium actus formaliter boni, non utrumque sed determinatè; & ideo signanter ponitur, *quæ nemo male vititur*: ad declarandum discrimen intercedens inter virtutes morales ex una parte, & opinionem, & fidem humanam ex altera, quæ etiam pluries inclinent in actum bonum, seu verum, possunt ad falsum detorqueri, quod non accidit in virtute, ut constabit ex dicendis. Reliquæ particula, *quam Deus &c.* ponuntur

pro virtutibus supernaturalibus, de quibus erit sermo disp. 3. & propterea quæst. 1. de Virtut. art. 2. eas omittit D. Thomas; sine quibus convenit omni virtuti tam morali acquirere, quam intellectuali, tam theologice, quam infusæ: ergo in prædictis sufficienter declaratur genus, & differentia virtutum, ac proinde est bona. Compescunt N. Salmant. plures obiectiones contra prædicta insurgentes, ubi possunt videri (licet infra nonnullas adducemus) sicut, & reliquæ diffinitiones virtutis.

Vrgentior sanè est, quam præsertit titulus propositus, an videlicet sit virtuti essentiali concurrere ad bonum actum, & ad malum non concurrere, quod explicare videtur particula illa *quæ nemo male vititur*. Certè intelligenda de usu formali; nam de obiectivo nulli est dubium posse virtutem applicari in malum, ut videri potest D. Thom. loco citato ad 5. Sic enim pluries abutimur Sacramentis, superbumus de donis supernaturalibus, quæ optima sunt, imò eò solet esse deterior eorum abusus, ut constat bit proficiendi.

46 **N**ota secundò, tria esse genera virtutum: nam aliæ sunt purè intellectuales: quæ perficiunt intellectum in ordine ad cognitionem, sed non determinant ex se ad bonum usum, prout rectificat appetitum, ut intelligentia, scientia, & ars. Aliæ sunt morales, quæ perficiunt appetitum, & inclinant ad actum bonum, ut iustitia, fortitudo, temperantia: quibus adiungi debet prudentia, licet subieciatur in intellectu, quia convenit cum alijs virtutibus moralibus in hoc, quod est respicere rectitudinem appetitus, & bonum usum actus; cum sit regula omnium virtutum moralium. Aliæ tandem sunt theologice, quæ immediate versantur erga Deum velat circa proprium obiectum. Contraversa proposita præcipue procedit de virtute morali acquisita; nam de charitate, & spe potius supponi debet, quam controverti: & de his virtutibus purè intellectualibus nonnulli dicemus inter disputandum.

47 **S**ed hæc possumus cum omni distinctione procedere, nisi notemus tertio, quòd triplex in hac materia potest fieri combinatio. Prima sic, quòd in actu virtuoso consideretur entitas physica, & modus moralitatis malæ in ea subieciatus; & sciscitatur, utrum virtus moralis causare queat, nedum entitatem physicam, verum & malitiam actus? Secunda est, quòd attendatur entitas actus affectu moralitate bona, & simul moralitate mala; & inquiretur, utrum virtus producat entitatem, & moralitatem bonam, & etiam se extendat ad moralitatem malam? vel saltem permittat, ut in entitate, in qua bonitatem ponit, possit alia causa producere malitiam? Tertia potest formari sic; utrum virtus producens entitatem physicam actus, &

quatenus est in se moralitatem bonam, possit impediri, ne hanc vitiosè exequatur, per aliam causam loco illius bonitatis producentem malitiam?

Circa quos controversiam duplex versatur sententia. Prima est Caiet. in præf. art. 4. Lorca, & aliorum asserentium, actum à virtute elicium posse vitiosi ab aliquam circumstantiam pravam; & hoc modo virtus erit principium actus mali, non persè, sed per accidens. Secunda est communis Theologorum, asserentium virtutem nullo modo concurrere ad actum ex aliqua parte vitiosam. Quam duplici conclusione breviter explicabimus.

## §. II.

*Opinio communis Theologorum.*

48 **D**icendum est primò, virtutem moralem nullo modo posse producere persè malitiam formalem in actu. In hac asserente facile conveniunt Authores relati pro prima sententia, & ad hanc sensum explicant diffinitionem relata D. Augustini. Et suadetur facile, & breviter: Nam nulla causa transilire unquam potest limites sui specificativi formalis, maxime ad eos effectus, ad quos nequit à Deo virtus eius suppleri, aut ipsa elevari, quales sunt peccata, & moralitates malæ; sed proprium, & adæquatam obiectum virtutis moralis est bonum sub ratione boni: ergo nequit persè tendere in obiectum malum sub ratione mali; sed in tale obiectum tenderet, si produceret persè malitiam formalem in actu, ut ex se liquet: ergo virtus moralis nullo modo potest persè producere malitiam formalem in actu.

49 **D**icendum est secundò, virtutem moralem non producere adhuc per accidens malitiam formalem in actu. Hæc asseritio determinatè procedit contra Authores relatos pro prima sententia. Pro cuius luce, nota cum Div. Thoma quæst. 3. de Malo art. 6. ad 6. duplicem esse causam peraccidens aliam, quæ verè, & proprie est causa, influitque verè in effectum: dicitur tamen *peraccidens*, quia effectus coniungitur per accidens effectui persè producto, & intento: quæ ratione si quis effodiendo terram, inveniat thesaurum, dicitur causa *peraccidens* huius posterioris effectus, quia effectui persè intento coniuncta est per accidens inventio thesauri; sed verè in illius inventionem influit. Alia est, quæ improprie dicitur *causa*: quia nullum præstat influxum; accidit tamen ei, quæ vera est causa, & hoc modo si stannarius sit muscus potest dici, quòd muscus est causa peraccidens statuæ. Ex dictis pro prima conclusione satis constat, virtutem non esse causam peraccidens malitiam priori modo. Unde solum restat probanda in posteriori sensu,

50 **E**t probatur sic: nam virtus moralis solum potest esse causa per accidens malitiam, vel inquantum pro hac persè bonitatem moralem, & simul permittit, quòd alia causa producat malitiam, vel inquantum producit entitatem physicam actus, impediturque, ne producat bonitatem ab alia causa producente malitiam; sed neutro modo potest virtus concurrere ad actum malum: ergo nequit adhuc per accidens producere malitiam formalem in actu. Minor quoad primam partem probatur: nam idem actus nequit esse simul bonus, & malus moraliter, ut late ostendimus tract. præced. disp. 1. dub. 5. ergo nequit esse causa peraccidens, ita ut producat persè bonitatem moralem permittat, ut alia causa simul producat malitiam.

Quoad secundam partem etiam ostenditur: Tum, quia virtus non concurrat persè ad entitatem physicam actus virtuosi sumptam secundum se: ergo neque concurrat ad entitatem physicam actus mali. Consequentia est evidens. Et antecedens patet ex dictis num. 25. Tum etiam: nam virtus (sicut & vitium) tantum concurrat ad entitatem physicam reduplicativè, ut fundantem bonitatem moralem, quod idem est ac concurrere ad bonitatem moralem; sed virtus nequit producere bonitatem moralem, si est coniuncta cum malitia morali: ergo nequit villo modo concurrere ad entitatem physicam actus affectu malitia morali. Videantur dicta num. 26.

51 **A**dversus primam conclusionem nulla est opinio, nullumve argumentum, cui opus sit occursum iri. Adversus secundam possunt adduci omnia ea, quibus Adversarij contendunt posse federari bonitatem moralem, & malitiam in eodem actu; quibus satis occurrit tract. præced. disp. 1. dub. 5.

## DISPUTATIO II.

*De Subiecto immediato Virtutum.*

**N**ON leve dissidium est adhuc inter nostros Thomistas circa assignationem subiecti remoti virtutum moralium; plerique affirmantibus non posse in Angelis inveniri; alijs vero, de quorum numero sunt N. Salm. in hoc tract. disp. 2. dubio 4. docentibus, posse Angelos virtutibus exornari. Nos verò, brevitate consulentes, solum de subiecto proximo in hac disputatione sermonem instituumus cum Div. Thoma in præf. quæst. 56. quia satis constat ex dictis tract. 4. disp. 1. num. 28. tam Deum, quam Angelos esse subiectum virtutum, proportionem servata.